

93. art. 1. Mastrius *disp.* 6. q. 9. num. 252. Brancatus *tom.* 4. *disp.* 17. art. 5. Vulpes *tom.* 2. p. 1. *dist.* 24. Carriere *tom.* 1. art. 12. q. 11. Frassen *tom.* 1. *disp.* 3. art. ult. *sect.* 3. q. 1. Sanning *tom.* 1. *dist.* 4. q. 11. & *seqq.*
- Aretinus *in* 3. *dist.* 14. q. 3. art. 1. Baron *tom.* 4. *apolog.* ult. *de vis.* art. 4. Castillent. *in Polyant.* Seraph. *verb. visio.* num. 7. & *seqq.*
86. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *lib.* 2. *de Attrib.* cap. 29. Arriaga *tom.* 2. *disp.* 51. *sect.* 5. & *tract.* *de vis.* *disp.* 13. *sect.* 1. & *seqq.* Avendaño *tom.* 1. *problem.* 12. §. 4. & *seqq.* Montoya *disp.* 4. *de scient.* *sect.* 2. Borrull *de vis.* *disp.* 19. *sect.* 1. Quiros *tract.* 3. *de vis.* *disp.* 30. *sect.* 1. Thyrsus *tom.* 1. *disp.* 5. *sect.* 1. Muniella *tom.* 1. *disp.* 17. *sect.* 1. Rhodès *tom.* 1. *disp.* 2. q. 4. *sect.* 3. Carleton *tom.* 1. *disp.* 20. Valentia *disp.* 1. q. 12. *punct.* 5. Aldrete *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 4. *sect.* 6.
87. Ex aliis D. Bonaventura *in* 1. *dist.* 3. p. 1. 7. 1. & *in* 3. *dist.* 14. q. 2. Blasco *tom.* 1. *lib.* 24. *dist.* 95. q. 3. Gaudentius *tom.* 1. *tract.* 1. *de Deo uno.* *disp.* 11. q. 27. Trigofus q. 7. art. 1. *dub.* 7. Caspensis *tom.* 1. *disp.* 5. *de vis.* *sect.* 5. Baudunius q. 12. art. 2. *disp.* 1. La Moneda *tom.* 1. q. 12. art. 9. *dub.* 10. Lalemandet *tom.* 1. *disp.* 7. *de vis.* *sect.* 1. p. 1. Pasqualig *tom.* 1. *disp.* 50. *sect.* 1.
88. QUÆST. 6. An in statu gloriæ, sivè beatorum forte sint Sacramenta? Ex Angelicâ Scholâ Salmanticenses *tom.* 11. *disp.* 3. *dub.* 6. §. 5. & *seqq.* S. Antoninus 3. p. *sum.* 111. 14. cap. 11. §. 4. Capreolus *in* 4. *dist.* 10. q. 4. art. 3. Paludan. *dist.* 1. q. 3. *conclus.* 6. Argentina q. 2. art. 2. *conclus.* 3. Sotus q. 2. art. 2. Prado q. 61. *dub.* 5. num. 9. Gonetius *tom.* 5. *disp.* 2. art. 4. num. 108. Cabrera *in Comment.* art. 4. num. 5. Lumbier *de Incarn.* q. 36. num. 14.
89. Ex Subtili Scholâ Castillentus *in Polyant.* Seraph. *verb. Sacramentum.* a num. 7. & *seqq.* Faber *in* 4. *dist.* 1. q. 3. *disp.* 4. cap. 3. Nicolaus de Niife *tract.* 3. *resol. theolog.* p. 3. q. 3. Aquila *in* 4. *dist.* 1. q. 1. art. 1. & 2. Cotonius *tom.* 1. *lib.* 4. *Controv.* 1. cap. 1. art. 1. Baron *tom.* 5. *Apolog.* *de Sacram.* art. 7. & *seqq.*
90. Ex Scholâ Eximiâ Henriquez *lib.* 1. *de Sacram.* cap. 6. §. 8. & cap. 11. §. 8. Henna *in Empireolog.* *lib.* 7. *exercit.* 24. *sect.* 2. num. 13. Quintanadueñas *tom.* 2. *tract.* 2. *singul.* 2. Nierembergius *lib.* 8. *de orig. sacra Script.* cap. 34.
91. Ex aliis Sylveira *tom.* 5. *lib.* 9. cap. 3. q. 15. num. 98. Castillo *de Ornat.* Aaron. *vers.* 18. *illat.* 146. num. 31. Sayrus *lib.* 3. *de Sacram.* cap. 6. q. *unic.* Egidius Romanus 2. p. *Exameron* cap. 41. Averfa q. 61. *de Sacram.* *sect.* 2.
92. QUÆST. 7. An sit possibilis species impressa Trinitatis? De quo, *tom.* 1. *dist.* 3. q. 8.

QUÆ

93. QUÆST. 8. In quo beatitudo formalis consistat, an in visione, an in amore? De quo, *tom.* 1. *dist.* 1. q. 5.
94. QUÆST. 9. An beati possint videre essentiam divinam sine attributis, aut unam personam sine aliâ? De quo, *tom.* 1. *dist.* 1. q. 10.
95. QUÆST. 10. An beatitudo consistat in actu intellectûs, aut voluntatis? De quo, *tom.* 1. *dist.* 1. q. 4.
96. QUÆST. 11. An potentia visiva materialis possit divinitus intuiti Deum? De quo, *tom.* 1. *dist.* 3. q. 9.
97. QUÆST. 12. An, & quid sit dos impassibilitatis? De quo, *dist.* 44. *quest.* 3.
98. QUÆST. 13. An, & quid sit claritatis dos? De quo, *dist.* 44. *quest.* 4.
99. QUÆST. 14. An, & quid sit agilitatis dos? De quo, *dist.* 44. q. 5.
100. QUÆST. 15. An, & quid sit subtilitatis dos? De quo, *dist.* 44. *quest.* 6.

## DE STATU REPROBORUM.

## DISTINCTIONIS QUINQUAGESIMÆ SYNOPSIS.

Non poterunt, erit hircus ubi defectus ab agno.

Vel bene velle mali, vel malè velle boni.

Sic incipit: Hic oritur questio.

Sic terminat: Cum viderit vindictam.

1. **C**onnectitur hæc ultima distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de beatorum gloriâ; sed in præsentî consentaneè iis determinat de damnatorum poenâ: ergo egregiam inter se hæc distinctiones methodum servant.

2. Consequentia probatur: Juxta ordinem præfixum à Divo Matthæo cap. 25. servandumque in universali judicio, prius conferet Deus præmiûm electis, quàm reprobis fulminabit supplicium: ergo secundum rectam differendi seriem, prius erit à beatorum gloriâ, quàm à reproborum poenâ incipiendum; sed Magister in superiori distinctione

Tom. 1.

11

egit



egit de beatorum gloriâ; & in presenti, ultimâque hujus libri de damnatorum pœnâ: ergo rectè & concinnè inter se consonant.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ Magister sedulo inquirat: An damnati in inferno pœnant liberâ facultate peccandi? In secundâ verò etiam indagat: An intelligant ea, quæ modo peraguntur in terris? In tertiâ autem, & ultimâ statuti parte, beatos in patriâ constitutos intueri damnatorum pœnas in inferno.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hæc prima præfigitur thesis: *Prava damnatorum voluntas, prout existit extra merendi statum, est pœna, sive supplicium, & non culpa, sive peccatum.* Hanc deducimus ex Magistro respondente Divo Augustino perquirenti in litterâ: An in damnatis sit facultas peccandi, cum perpetuò pravam voluntatem habeant? Et respondet, quòd juxta nonnullos voluntas illa mala non est culpa, sed pœna secundum verò alios est culpa; sed per ipsam nihil demerentur, cum sint degentes extra merendi statum; ipse tandem Magister primam commendat sententiam.

5. Probat primò ex Augustino in Enchir. cap. III. dicente: *Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat semper in se malignitatis suæ supplicium.* Sed ex eò quòd damnatorum voluntas semper in se habeat malignitatis suæ supplicium, illa eorum voluntas prava non est culpa, sed pœna: igitur prava damnatorum voluntas, prout extra merendi statum existit, non erit culpa, sive peccatum, sed pœna, sive præcedentis noxæ supplicium.

6. Secundò, iterum ex eodem Augustino probat: *Sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam; ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam.* Sed prava damnatorum voluntas est major eorum malignitatis: ergo non culpam, sive peccatum, sed solum pœnam, & supplicium cumulabit in inferno prava damnatorum voluntas.

7. Tertio: Pari gressu est discursandum de electorum voluntate; ipsiusque affectu in ordine ad gloriam, quàm de damnatorum voluntate, illiusque affectu in ordine ad supplicium; sed quòd beati malam non possint nancisci voluntatem, cedit ipsis in gloriam: ergo & quòd damnati bonam non possint sortiri, cedit ipsis in pœnam, & supplicium; atque adeò prava damnatorum voluntas, prout extra viæ statum extat, non erit culpa, sed eorum pœna.

8. Quarto: In auspiciatissimo electorum statu non est locus merito præmii: ergo nec in miserâ damnatorum sorte erit locus merito pœnæ. Consequentia probatur; Ideò in beatitudinis statu non est locus

cus merito præmii, quia beati jam constituti extant extra viæ statum; sed pariter damnati in inferno degentes, extant extra viæ statum: ergo non erit ipsis locus merito pœnæ; ac proinde eorum perversa voluntas non erit culpa, sive peccatum, sed pœna sive supplicium.

9. Quintò: Si voluntas illa damnatorum prava esset culpa, sive peccatum, actu tunc damnati in inferno peccarent; cum actu illam pravam voluntatem habeant: ergo liberè, aut necessitate compulsi peccarent. Non sic necessitati, cum liberum debeat esse homini à rectâ ultimi finis bonitate deviare, ut ipsi culpa imputari valeat: ergo voluntatis usu deficient; sicque & proximè mereri poterunt, quod procul à veritate censetur: ergo quia solum erit pœna, sive supplicium illa damnatorum obliquata voluntas.

10. His sic prælibatis, indagat Magister causam, cur tenebræ illæ, quibus damnati irretientur in gehennâ, dicantur tenebræ exteriores? Et respondet, quòd in tenebris exterioribus mali esse dicuntur, eò quòd à visione Dei penitus arceantur, tum ob voluntatis malitiam, tum etiam ex oblivione Dei à gravitate pœnarum causatâ. Hoc tamen plus erit post judicium, quàm ante.

11. Quod reverà probat primò Magister ex Augustino in Expos. Psalm. 6. sic comiter alloquente: *Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi esse in summa cœcitate.* Ergo ideò tenebræ exteriores dicuntur illæ, quibus damnati in inferno involventur, quia penitus extorres erunt visione beatâ; sed dum sic Dei visione extorres censentur, in summâ constituuntur cœcitate damnati: ergo ob hanc causam satis aptè tenebræ exteriores hoc nomen sortiuntur.

12. Secundò probat Magister in litterâ: Et si tenebræ exteriores jam hîc in peccante incipiant; dum interiori Dei luce destituitur; non tamen penitus dum in hac vitâ est; secus inaliâ; quia ibi secludetur omninò à luce Dei: ergo ideò damnati exterioribus tenebris involventur in gehennâ, quia omninò privantur luce illâ inaccessibili, in quâ habitat Deus: ergo propter hanc causam congruentissimè hoc ipsis tenebris exterioribus aptatur nomen.

13. Tertio: Malitia voluntatis damnatorum, ipsumque odium in Deum ibi obstinatè consistens, ita excrescet in eorum mentibus, juxta illud Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper,* ut omninò eorum aciem obtundat: ergo etiam erit una ex causis, ob quam tenebræ exteriores appellantur illæ, quibus damnati in inferno maebunt irretiti, quia ita implacatis odiis urgent Deum, ut velint ipsum non esse.



14. Quartò: Quia ita damnati tormentorum doloribus afficientur, turbabunturque, ut ad cogitandum aliquid de Deo vix, vel rarò, vel nunquam mentem revocent; cum illius tendat impetus cogitationis, ubi sentitur vis ingentis doloris: ergo à gravitate pœnarum eorum obnubilante mentes causabitur oblivio Dei; sed positâ fœgni oblivione Dei in damnatis, qui est pura, & inaccessibilis lux, illicò exorientur tenebræ exteriores, quibus in gehennâ circumvolvuntur: ergo tenebrarum harum exteriorum causa erit oblivio Dei ab acerbitate pœnarum proveniente; proindèque hæc tria causarum genera pro tenebrarum exteriorum formali constitutivo aptè à Magistro assignantur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

15. PRO SECUNDÆ verò partis congruâ explanatione, hæc secunda proponitur thesis: *Damnati, qui in inferno tormenta patiuntur, non cognoscunt ea, quæ circa suos in hoc mundo aguntur.* Probat primò ex Augustino super Psalm. 108. & lib. de Curâ pro mortuis; cap. 14. & 15. recensente historiam illam memorabilem Lazari, & divitis, quæ ad longum habetur apud Lucam cap. 16. ubi in calce illius, sic affatur: *Non tamen ideò consequens est, eos scire, quæ circa charas suos aguntur hic, vel lata, vel tristia.* Ergo etsi damnati curam aliquam de suis notis habeant, tamen quæ in mundo aguntur, non cognoscunt.

16. Secundò probat ex ipsâ sacrâ divitis historiâ, ubi expressè innuit textus Lucæ cap. 16. divitem illum Epulonem sollicitum fuisse de salute fratrum suorum, simulque ignatum eorum, quæ circa ipsos contingebant: ergo etsi damnati habeant curam de suis charis, tamen quæ circa ipsos hic geruntur, non agnoscunt. Antecedens liquet ex Lucâ, qui divitem sic alloquentem inducit: *Habeo enim quinque fratres, mitte aliquem ex mortuis, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ergo quanvis de suorum salute solliciti sint damnati, tamen quæ circa eos contingunt, non intuentur.

17. Tertio: Lumen cognitionis non gliscit in damnatis, imò obtunditur, & hæbetatur; sed dum damnati erant in hac vitâ degentes, non poterant intueri ea, quæ in inferno gerebantur: ergo nec modò agnoscere poterunt, quæ hic aguntur; cum par sit distantia ex uno ad alium locum.

18. Quartò: Plus damnati à viatoribus, quam viatores inter se diffident; sed quia viatorum potentia cognoscitiva est finita, nequeunt aliquid de novo in viâ cognoscere, nisi ipsis fiat præsens: ergo quia damnatorum cognitiva potentia est finita, deguntque extra viâ statum, non poterunt intueri, quæ circa suos in hac vitâ peraguntur.

Sed

19. Sed oppones eundem Lucæ cap. 16. locum recensentem supplicem illam divitis petitionem hæc verborum serie: *Rogo ergò te Pater ut mittas eum, idest Lazarum, in domo patris mei, habeo enim quinque fratres, &c.* Sed dives ille jam erat damnatus, sepultusque in inferno: ergo si ibi cognoscebat se tunc habere in hac vitâ quinque fratres, benè poterunt damnati in tartara detrusi cognoscere, quæ circa suos in hac vitâ aguntur.

20. Respondetur negando Consequentiam: Quia dives ille solum conjecturaliter, & vi naturalis discursus cognovit se tunc quinque in hac vitâ habere fratres, non verò certè, & absque hæsitacione ullâ; sub cuius sensu hæc cum Magistro proferimus. Sic ergò discursabat dives, quanvis errori, & dubietati adeò expositus. Sciebat enim dives, fratres suos non esse in locis pœnarum, quia ibi sine fratribus erat; nec eos esse in beatorum requie, ubi Lazarum, & Abraham, quanvis longè, aspicebat: Ex quibus deducebat, se adhuc in hac vitâ quinque suos habere fratres: Sic suum sanè tantis irretitus fallibilibus conjecturis perficiebat ratiocinium dives; cum benè posset Deus fratres suos jam mortuos, & in gehennâ destrufos occultare, vel aliis in locis detinere.

21. Caterùm, ex præfata memorabili narratione colligit Magister, damnatos ante iudicium cognoscere eos, qui sunt in beatorum sorte, sicut dives iste elevans oculos vidit Lazarum, & Abraham in electorum requie; post iudicium verò, id eis non dabitur, sed solum bonis cognoscere malos. Quod primò perspicuis Divi Gregorii verbis hom. 40. in cap. 16. Lucæ probat: *In fideles in imo positi, ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt.* Ergo etsi ante iudicium boni malos, & mali bonos videant; post iudicium verò, tantum boni malos, non mali bonos videbunt.

22. Secundò etiam sic illustrari poterat assumptum: Opposita sibi invicem comparata, simulque visa, magis elucescunt ex Philosopho in Topic. cap. 40. etiamque univèrsim miro decorant modo; sed electi in gloriâ, & damnati in pœnâ maximè opponuntur, eò quòd damnatorum pœna eatenus sit intensa, quatenus excogitari valet; & similiter electorum gloria: ergo ut pœna damnatorum, beatorumque gloria magis elucescat, debent se vicissim videre: ergo ante iudicium, & boni malos, & mali bonos videre poterunt; secus post iudicium, ubi solum boni malos, non mali bonos intuentur.

23. Sed oppones primò: Inter damnatos, & electos modò concipimus improporcionabilem distantiam, utpotè inter infernum, & Cœlum; sed ad visionem sive intuitionem necessariò requiritur objectorum præ-

præ-



præsentia : ergo cum damnati non sint in Cælo , ubi adsunt beatorum agmina , nec beati in inferno , ubi degunt damnatorum colluvies , nec boni malos , nec mali bonos videre poterunt.

24. Respondetur negando Consequentiam. Licet enim maxima , notabilisque intercedat distantia inter damnatos , & beatos , eorumque loca ubi modò morantur , benè damnati beatos , & beati damnatos intueri possunt. Nam mali bonos non agnoscunt per intuitivam visionem , sive præsentia intuitum , sed per considerationem quandam mentis ; boni autem malos intuentur in Deo tanquam in speculo , ubi ipsi representantur.

25. Oppones secundò : Quemadmodum gratia est qualitas spiritualis præstans decorem animæ ; sic gloria est qualitas spiritualis , quæ summum , & infinitum assequitur bonum ; sed qualitas gratiæ non videtur exterius à non habente eam : ergo nec beatorum gloria poterit à damnatis videri , cum ab ipsis non assequatur.

26. Respondetur , damnatos ante , nec potest iudicium non videre ipsam gloriæ essentiam , sed tantum considerare beatorum requiem , quæ quiescunt , & fruuntur ; eosque lassari , & mæstis indulgere doloribus. Sic etenim , & non aliter damnati beatos agnoscunt. Vel quemadmodum infirmus cognoscit sanitatem alterius , quam non habet ; ita damnati beatorum gloriam , quia eam extant privati.

27. Oppones tertio : Sicut pœnæ consideratio incutit terrorem ; sic gloriæ consideratio generat gaudium ; sed omne gaudium est procul à damnatis , sicut & pœna omnis exultat à beatis : ergo cum nullum possit esse in damnatis gaudium , sicut nec in beatis pœna ; mali nec poterunt contemplari bonos in Cælo , nec boni malos in inferno ; nè ex visione illà commodum , aut damnum aliquod referant.

28. Respondetur negando Consequentiam. Quia dum boni malorum considerant pœnam , non ibi sistunt , sed ulterius feruntur ad contemplandum , eam justè & dignè inflictam fore ; cuius consideratio diligentibus justitiam generat gaudium : Similiter , nec malorum consideratio sistit , sive permanet in bono gloriæ beatorum , quia bonum , sed quia perditum , & idèò consideratio hæc generat dolorem , & tristitiam in damnatis : Undè nec mali ex visione bonorum reportant commodum , nec boni ex malorum visione referunt pœnam.

29. Ad hæc inquit , quomodò accipienda sint ea , quæ de Lazaro , Abrahamo , & divite leguntur apud Lucam cap. 16. non semel adductum. Et respondet ex Augustino super Genes. lib. 8. cap. 5. rem esse adeò dubiam , & incertam , eamque insolutam relinquit. Audi nunc

Augustini responsum : *Divitem in supplicio , pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur divitis lingua , digitus Lazari flamma inferni ; sinus Abrahe , & huiusmodi , vir à mansuetis , à contentiosis autem nunquam invenitur. Sed melius est dubitare de occultis , quam litigare de incertis.* Hactenus Augustinus. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficient.

30. PRO TERTIÆ autem , & ultimæ partis pleno captu , hæc tertia , & ultima totius libri Sententiarum adducitur thesis : *Beati in Cælo existentes absque compassione ulla vident damnatos , eorumque tormenta in inferno.* Quam primò probat Magister ex illo Luca cap. 16. toties inculcato , ubi Abraham respondens diviti , ait : *Inter nos , & vos chaos magnum firmatum est , ut hi qui volunt hinc transire ad vos , non possint , neque inde huc transire.* Sed chaos inter bonos , & malos interpositum , non est aliud , nisi hinc iustitia , inde iniquitas , quæ nullatenus sociare valent ; ergo cum beati omnes sint Dei strictæ iustitiæ addicti , nullâ compassione ad reprobos transire poterunt , nec ulla inter ipsos fiet pro ipsis intercessio.

31. Secundò probat ex Gregorio sup. Evang. Luca cap. 16. hom. 40. dicente : *Iustorum anima etsi in natura sua bonitate misericordiam habeant , jam tunc Authoris sui , iustitiæ conjuncta , tanta rectitudine constringuntur , ut nulla ad reprobos compassione moveantur.* Ergo etsi beati damnatorum horrenda tormenta videant , non exindè aliquâ affectus compassione moventur.

32. Tertio : Beatorum voluntas est adeò in patriâ perfecta ; sed si ad damnatos vellent compassione aliquâ transire , jam eorum voluntas perfecta non esset : igitur beati in gloriâ existentes nullâ erga damnatos compassione moventur. Minor probatur : Beatorum velle ita examussim consonat iustitiæ Dei , ut non possint ex opposito velle ; imò etsi vellent , non possent eos juvare ; sed Deus suâ rectâ & ultrice iustitiâ damnatos punit : ergo si compassione aliquâ ad damnatos transire vellent beati , clementiamque Dei in eorum auxilium vocarent , jam beatorum voluntas consona non foret iustitiæ divinæ ; consequenterque nec perfecta , quod omninò repugnat.

33. Sed dices : Beati exoptant opem , dextramque dare damnatis ; sed quicquid sibi , aut aliis exoptant , assequuntur beati : ergo quia compassione aliquâ erga damnatos moventur. Major sic ex responsione Abrahami ad divitem nuper appositâ probatur : *Ut hi qui volunt hinc transire ad vos , non possint.* Ergo quia beati exoptant ad damnatos transire , ipsique opem , dextramque præbere.



34. Respondetur ex Divo Gregorio in litterâ, quòd illud velle, sive beatorum desiderium non significat compassionem, sed misericordiae affectum, quòd ad eos transirent, si datum, & permissum foret à Deo, ut cum ipso Gregorio dicebamus supra: *Iusti per misericordiam ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent.* Undè, nunquam eis auxilium præbent, nec pro ipsis Dei opem implorant.

35. Ultimò inquirat Magister: An pœna reproborum visa decolorat beatorum gloriam? Utrum verò eorum beatitudini proficiat? Et respondet, tormentorum visione non minui, sed augeri beatorum gloriam. Quod primò suadere tentat ex Divo Gregorio sup. Lucam, cap. 16. hom. 40. dicente: *Apud animum iustorum non offuscatur beatitudinem aspecta pœna reproborum; quia ibi iam compassione miseria non erit, minuere beatorum lætitiâ non valebit.* Ergo quia visio reproborum pœnæ non solum non obnubilat beatorum gloriam, nec eorum gaudium minuit, verum ex ipsius aspectu maximè gliscit.

36. Secundò, ex eodem sic clariùs suadet: *Licet iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per gratiam evaserunt; quia qui Dei claritatem vident, nihil in creatura agitur, quòd videre non possint.* Ergo cum beati claritatem Dei vident, non poterunt non videre tormenta, quibus in gehemâ afficiuntur damnati: ergo quamvis suo gaudia sufficiant beatis; tamen ad maiorem eorum gloriam datum est, reproborum pœnas videre.

37. Tertio, Maximum Doctorum Hieronymum in testem hujus veritatis adducit Magister lib. 8. sup. Isaiam, cap. 66. sic venuste alloquentem: *Egredientur ergò electi, non loco, sed intelligentia, vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus; quos videntes non dolore afficientur, sed lætitiâ satiabuntur.* Ergo dum electi manifestâ visione horrenda reproborum supplicia aspiciunt, nullum ex eâ dolorem, aut pœnam reportant, sed gaudium magnum referunt.

38. Quarto tandem probat ex Regio Vate Psalmi. 57. *Lætabitur enim iustus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Sed dum electi ex vindictæ reproborum visione, quam per gratiam evaserunt, exultant, ingentique plausu hanc concelebrant mercedem, non unquam suam denigrant gloriam, imò notabiliter decorant, & augent: ergo præfata damnatorum visio nihil de beatorum gloria, & honore detrahit, sed novum robur in eorum gaudium, & lætitiâ adicit. Et hæc de tertiâ, & ultimâ hujus distinctionis, totiùsque Libri Quarti Sententiarum parte satis superque sint dicta.

## QUÆSTIONES.

39. QUÆSTIO 1. An quilibet ex damnatis possit benè moraliter operari? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. p. q. 64. art. 2. Gonetus tom. 2. tract. 7. disp. 14. art. 1. Cruz tom. 2. disp. 330. dub. 8. Salmant. tom. 2. tract. 7. disp. 13. dub. 2. Ferre tom. 3. tract. 16. de Angel. q. 18. §. 12. Maurilius de Lezanâ verb. damnatus, num. 13.
40. Ex Subtili Scholâ Scotus in 2. dist. 7. q. 1. Mastrius in 2. disp. 3. q. 5. num. 84. Sanning tom. 1. dist. 8. q. 4. Carriere tom. 1. tract. de Angel. creat. q. 12. Frassen tom. 2. disp. 3. art. 3. q. 3. Castillent. tom. 1. in Polyantb. Seraph. verb. Damnatio, diff. 1. num. 1. & seqq.
41. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de Angel. lib. 8. cap. 8. Amicus de Angel. disp. 21. sect. 1. Arriaga disp. 25. sect. 5. subsect. 2. Vazquez 1. 2. tract. 4. disp. 1. q. 10. Echeverria de Angel. disp. 13. cap. 6. Rhodès tom. 1. disp. 2. de Angel. q. 2. sect. 1. §. 2. Carleton tom. 1. disp. 80. sect. 3. Tannerus disp. 5. q. 6. dub. 5. num. 14.
42. Ex aliis D. Bonaventura in 2. dist. 7. p. 1. art. 1. q. 2. Gaudentius tom. 1. tract. 4. disp. 8. q. 4. Averfa q. 64. sect. 4. Morand. tract. 7. q. 40. num. 788. Baudunius tom. 1. q. 58. art. unic. Bassæo verb. Angelus, num. 7. & seqq.
43. QUÆST. 2. An damnati possint in inferno peccare, & beati in Cælo mereri? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 19. art. 3. ad 1. & in 2. dist. 5. q. 2. art. 2. & in 4. dist. 50. q. 2. art. 1. Sylvius 2. 2. q. 214. q. 2. Sotus lib. 3. de natur. & grat. cap. 4. & in 4. dist. 50. q. unic. art. 4. Maurilius de Lezanâ verb. Angelus, num. 10. & seqq.
44. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 50. q. 2. & seqq. Poncius tract. 3. disp. 15. q. 4. Vulpes tom. 1. p. 3. disp. 26. art. 1. Mastrius tom. 2. disp. 7. q. 9. Carriere tom. 1. art. 7. Baron tom. 4. tract. de Angel. apolog. 7. act. 1. & seqq. Castillent. verb. Angelus, diff. 4. num. 5. & seqq. Cotonijs tom. 2. lib. 1. contro. 3. cap. 6. art. 1.
45. Ex Scholâ Eximiâ Suarez lib. 12. de grat. cap. 34. & tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 11. & 12. Carleton tom. 1. disp. Tom. V. Kk 326



126. *sect.* 5. Maurus *tom.* 5. *tract.* 4. *q.* 45. Rhodès *tom.* 1. *disp.* 2. *de Angel.* *q.* 3. *sect.* 3. Arriaga *disp.* 53. *sect.* 3. Ovidius *lib.* 12. *p.* 1. & 12. Vazquez *disp.* 216. *cap.* 4. Tannerus *p.* 2. *disp.* 6. *q.* 6. *dub.* 4. *assert.* 3. Bellarm. *lib.* 5. *de justific.* *cap.* 15.

46. Ex aliis D. Bonaventura *in* 2. *dist.* 11. *art.* 2. *q.* 2. & *in* 3. *dist.* 18. *art.* 7. *q.* 2. & *in* 4. *dist.* 41. *q.* 3. Gaudentius *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 7. & 8. Alens. 3. *p.* 9. 17. Bassão *verb.* *Charitas*, *num.* 4. Boverius *examin.* 2.  *cens.* 18. *error* 10. Morandus *tract.* 4. *q.* 33. Pasqualig. *disp.* 72. *sect.* 5. La Moneda *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 8. Baudunius *tom.* 1. *q.* 58. *art.* *unic.*

47. QUÆST. 3. An, & quomodo Spiritus possint igne corporeo torqueri? De quo, *distinctione* 47. *quæst.* 1.

48. QUÆST. 4. An reproborum futura poena sint aeterna? De quo, *tom.* 4. *p.* 1. *dist.* 15. *q.* 1. & 2.

49. QUÆST. 5. An prædestinatus possit damnari; & è contrà damnatus prædestinari? De quo, *tom.* 1. *dist.* 40. *q.* 5.

50. QUÆST. 6. An damnati cognoscant quæ in hoc mundo aguntur? De quo, *hic* *q.* 2.

51. QUÆST. 7. An beati tristari, aut compati queant de reproborum poenis? De quo, *hic* *q.* 2.



EPI-

# EPILOGUS SENTENTIARUM LIBRI MAGISTRI PETRI LOMBARDI, Episcopi Parisiensis.

1. HIS tandem aureis verbis suum foeliciter absolvit pensum Magister, quatuorque Sententiarum Libris colophonem imponit. Sic, quæ hætenus scripserat, ad calcem deducit. *Hæc de pedibus sedentis super solum excelsum, quos Seraphim duabus alis velabant, scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat: qui à facie exorsus sedentis, per media ad pedes usque, vi à duce, pervenit.* Super quæ brevem, sed perpolitam Expositionem elucubravit Seraphicus Doctor, quam paucis eliminatis, adjectisque aliis, hæc usuræ communi donamus.

2. Ait ergo Magister: *Hæc de pedibus sedentis super solum excelsum, &c.* In cujus perfectum, plenumque captum tria sub limâ, & examine veniunt. Primò, quid sit *Sedes*. Secundò, *Solum*. Tertiò tandem, quid nomine *via* intelligatur?

3. Primò dicimus, *Sedem* illam esse Deum, sive Christum Dominum, qui requiescit in summâ, perennique pace, quæ omnem exuperat sensum, & ipsâ comite, cuncta æterno foedere copulantur in Deum.

4. Secundò dicimus, *Solum excelsum* esse Sacram Scripturam propter sui altitudinem, & eminentiam: Sive